

No. 707. 1389. 29. Jan.

Das Capitel trifft bei eingetretenem veränderten Besitzstande Anordnungen wegen der an gewissen Festtagen und bei mehreren Jahrgedächtnissen zu vertheilenden Gelder.

Nos Nicolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis tenore praesentium publice profiteamur, quod quia census et bona, quos et quae olim in villa Zeficzkewicz districtus Drezenensis proprietatis titulo tenebamus^{a)}, de quibus etiam nonnullae ministrationses pro quibusdam festivitatibus et anniversariis fieri consueverant, ex certis causis ad haec nos moventibus alienare curavimus et alienavimus cum effectu, nonnullas etiam pecunias tam ab ecclesiae nostrae personis, quam aliis Christi fidelibus pro emptione et comparatione censuum et bonorum in Magna Prūs^{b)} districtus Misnensis et apud sanctum Gothardum in Gana^{a)} villarum recepimus pro ministrationsibus in certis similiter festivitatibus et anniversariis ac alias iuxta earundem personarum offerentium devotionem et affectum inde faciendis, et ob id ad recompensam et satisfactionem omnium praedictorum ex debito utique teneamur, quare certo super hoc per nos indicto capitulo et vocatis omnibus qui fuerant evocandi, omnibusque et singulis qui voluerunt et potuerunt commode interesse nobiscum capitulariter congregatis, de unanimi — consensu — recompensam et satisfactionem praedictas de censibus et bonis in Magna Prūs et apud sanctum Gothardum villis suprascriptis — decrevimus et praesentibus decernimus faciendas per modum qui sequitur infrascriptum. Procurator enim sive collector bonorum in Magna Prūs, qui pro tempore fuerit, in anniversario domini Fredrici de Milticz praepositi Wurezinensis videlicet XVI^a die mensis Januarii unam sexagenam cum dimidia, et in anniversario strenui Ernfridi de Slinicz scilicet secunda die Decembris sex solidos grossorum, necnon in anniversario domini Tymonis decani Misnensis tertia die Decembris sex solidos grossorum in festoque beati Nicolai unam sexagenam grossorum annis singulis bonis de eisdem ministrabit. Procurator vero sive collector bonorum apud sanctum Gothardum in octava beati Johannis evangelistae ante portam latinam, et in octava beati Donati patronorum nostrorum, in qualibet octavarum illarum quatuor solidos cum sex grossis, necnon in festivitate beatorum Fabiani et Sebastiani martyrum unam sexagenam cum dimidia, et in commemoratione parentum domini Ramfoldi de Polenczk concanonici nostri et post ipsius decessum in ipsius anniversario, videlicet penultima die Januarii unam sexagenam cum dimidia, in festo etiam beatorum Philippi et Jacobi apostolorum quatuor solidos grossorum et in festo sanctae Marthae hospitae Christi sex solidos grossorum, necnon in anniversario domini Nicolai de Gana, scilicet in vigilia beati Bartholomei sex solidos grossorum, vicario etiam perpetuo altaris beatae virginis iuxta tumbam beati Bennonis, qui pro tempore fuerit, in festo beati Martini unam sexagenam et rectori capellae beatae Margarethae in castro Misnensi in eodem festo XVIII grossos annis singulis de bonis ministrabit supradictis. Distributio autem et divisio omnium ministrationsum praedictarum et cuiuslibet illarum fiet per modum in

a) Vgl. no. 616. b) Vgl. no. 684. c) Vgl. No. 700.